



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De ordin. Eccles. & quot sint. Quare sunt septem. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

DE ORDINIBVS ECCLESIASTICIS.
DISTINCT. XXIV.

Nunc ad considerationem sacræ ordinationum accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus siue ordines, sicut ex sanctorum patrum dictis aperte traditur, & capitis nostri, scilicet Iesu Christi exemplo monstratur: qui omnium officia in semetipso exhibuit, & corpori suo, quod est ecclesia, eosdem ordines obseruandos reliquit. Septem autem sunt, propter septiformem gratiam S. Spir. cuius qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indignè accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spir. S. cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

Quales assumendi sunt ad clerum.

*Clemens Pa.
epist. 2. ad
Iacobum.*

*Isid. c. 18. lib.
7. Etym.*

Tales autem ad mysterium spirituale eligendi sunt clerici, qui dignè possint dominica sacramenta tractare. Melius est enim Episcopo paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere: quam multos inutiles, qui ordinatori graue onus inducant. Tales n. decet esse ministros Christi, qui septiformis gratia Spir. S. sint decori: ex quorum doctrina & conuersationis forma, eadem gratia in aliis transfundatur, ne coelestes margaritas spiritualium verborum officiorumq; diuinorum sordidæ vitæ pedibus conculcent. In sacramento ergo septiformis spiritus septem sunt gradus ecclesiastici, scilicet Ouitarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti, Diaconi, Subdiaconi, Sacerdotes: omnes tamen clerici vocantur, id est, sortiti. Corona enim signaculum est, quo signantur in partem sortis ministerij diuini. Corona regale decem significat: quia seruire Deo regnare est. Vnde ministri ecclesiæ, reges esse dicunt, vt se & alios regant: quibus Petrus ait, Vos estis genus electum, regale sacerdotium.